

positam fuscescentibus. Mesosternum nigro-fuscum. Abdomen feminae pallidum, maris obscure griseum vel fere nigricans, segmento genitali pallidiore, sat laete rufescente, dorso virescente, medio nigricante. Pedes cum coxis pallide flavicanti-albidis vel griseis, femoribus supra ad apicem punctis nonnullis fuscis oblique positis, subtus atomis fuscis in series positis, femoribus, anterioribus tantum serie media, posticis seriebus duabus, altera media, altera superiore; femoribus posticis plerumque margine inferiore apicem versus laete coccineo; tibiis basi saepe coccineis, spinulis longioribus et validioribus nigris, in dimidio tibiarum basali e punctis sat magnis nigro-fuscis nascentibus, apice tibiarum articuloque ultimo tarsorum fuscis, hoc articulo tarsorum posticorum articulo secundo fere paullo longiore.

Gen. IX. **CAMPYLOMMA** REUT.

Agalliastes p. FIEB., *Atomoscelis* p. REUT.

Tab. I, fig. 9.

Diagnosis: Corpus ovatum, pubescens, capite nitido, verticali, breviter rotundato-trianguli, apice pronoti parum latiore, vertice postice haud marginato, sed margine tenui, acuto, levissime rotundato, clypeo haud vel vix prominulo, basi a fronte impressione obsoletissima discreta et paullo supra lineam intermedium oculorum posita, gula haud distinguenda; oculis laevibus, ne minime quidem prominentibus, longis, orbita interiore ad medium usque parallelis, dein autem sat fortiter sinuatis; antennis articulo secundo capitidis latitudini aequali; pronoto breviter trapeziformi; femoribus posticis incrassatis, punctis nigris majoribus signatis, tibiis nigro-punctatis et nigro-spinulosis; tarsis posticis articulo ultimo secundo paullulum breviore.

Habitant species hujus generis inter herbas.

Descr.: A generibus ceteris proximis structura capitidis praesertimque oculorum distincta. Mas et femina statura consimiles. Corpus ovatum, pubescens, nitidum. Caput nitidum, verticale, breve, apice pronoti paullulum latius, basi ejus autem $\frac{2}{5}$ — fere duplo angustius, breviter rotundato-triangulare, vertice postice haud marginato, sed margine tenui, acuto, levissime rotundato, fronte leviter convexiuscula, fortiter declivi, clypeo haud vel vix prominulo, basi a fronte impressione obsoletissima discreta, paullo supra lineam intermedium oculorum posita, genis valde humilibus, gula haud distinguenda. Oculi laeves, ne minime quidem prominentes, in latera capitidis longe extensi, orbita interiore ad medium usque paralleli, dein autem fortius et sat late sinuati apicemque versus incurvati. Rostrum coxas posticas attingens, tenue, articulo primo caput haud vel paullulum superante. Antennae corpore cum hemelytris circiter $\frac{3}{5}$ breviores, articulo primo apicem clypei haud superante, secundo capitidis latitudini aequali vel subaequali, maris aequaliter sat incrassato, feminae apicem versus paullo crassiore, duobus ultimis conjunctim secundo longitudine aequalibus. Pronotum breviter trapeziforme, latitudine basali magis quam duplo brevius, lateribus leviter rotundatis vel sub-rectis,